

A SUMMO DICTATORE designatur modò caput modò cere-
brum. Ὁ μὲν ἐγκέφαλος ἐστὶ πηγὴ τῆς φλέγματος καὶ μητρὴ πό-
λις τῆς ψυχῆς καὶ τῆς κοιλώδεως, cerebrum est fons pituitæ &
metropolis seu matrix frigidi & glutinosi. Libro de principiis aut
carnibus illustrat hanc suam sententiam nervosis verbis: Ὅταν
ἀποθήκη ὁ ἐγκέφαλος, cum cerebrum colliquatum plurimam mate-
riam ex se in palatum & fauces & pulmonem reliquumque ven-
trem detruserit, id percipiunt homines, καὶ φάσι καταρρέειν ἐκ
τῆς κεφαλῆς & dicunt ex capite defluere.

Hanc Hippocratis sententiam recentiores multi amplectuntur,
qui glandulas circâ caput laticum & serositatum, imò destilla-
tionum fontes agnoscunt. In glandularum numero cerebrum
etiam cum locum tueatur, cerebrum catarrhorum fontem esse,
inde etiam stabiliunt, imprimis cum observatum, in catarrhosis
non solum odoratum, sed etiam gustatum ablatum fuisse. Hel-
montius tractatu de asthma t. 67. scribit, comperisse se in coryzâ
nec caryophylli saporem deprehendere potuisse, ob læsionem
tertii paris nervorum in principio suo. Nicolaus Steno libro de
musculis & glandulis glandulas catarrhorum vocare videtur
fontes, & qui hæc dixerit illum & symptomata facile explicare
posse addit, cum caput glandulis undique sit obsitum. Omnes
oris & narium partes palati membranæ, fauces, lingua plurimis
glandulis instructæ.

ALII quibus novitatis studium summis est in deliciis,
cerebrum catarrhorum fontem non agnoscunt; Sed duo in
infimo ventre locata viscera accusant, ventriculum & jecur, &
in specie ventriculi frigidam, jecoris autem calidam intemperiem,
adduntque maximam mortalium infirmorum partem huic subjici
tyrannidi hanc ob ἀντιπεραξίαν.

Nobis cum *Excellentissimo Domino Preside* placet totum,
potius corpus & cor motus catarrhi *Principium* à quo dicendum.

SECUNDARIUM subjectum recipiens statuuntur *ab Hippo-
crate loco citato* palatum, fauces & pulmo reliquusque venter,
cur nares omiserit, non liquet.

CAPUT